Non ego quidem in præsentiarum, qui brevitatis sum studiosissimus, repetam quid de Catone, quid de Demosthene modò laudati commemorent Auctores, sed id tantum proferam: quod Plinius noster de ultimo è prædictis scribat Illustrium Virîs.

Plinio nempe Majori acre fuisse, scribit, ingenium, incredibile studium, summam vigilantiam.

Scribit et ipse: omne tempus perire sibi arbitratum fuisse Plinium: quod studiis non impertiret.

Scribit porrò: diem cum parte noctis maximâ Virum hunc Eruditissimum auscultandô, legendô, scribendôque consumsisse.

At hoc ipsum capere saltem cum detur paucis: quò difficilius erit sic æmulari, ut impleat.

Interim tamen anni isti, qui nobis currunt, et quibus ingenium memoriaque valent quàm maximè, perdendi sunt minimè, sed cogitandum potius: nihil intermitti debere: quod ad eruditionem aliquid conferat.

Fiet id: si ordinem habebimus et delectum: nec tam multa, quàm optima, ipsaque hæc multum legamus.

Ordinem verò illum atque delectum non aliundè sumere licet, quàm ex assiduâ optimorum Virorum Auscultatione.

Ab his enim non nisi utilia, et auscultatione digna proponuntur, traduntur, inculcantur.

Floriferis ut apes in saltibus omnia libant:
Omnia sic itidem hi depascunt aurea dicta:
Aurea, perpetuâ semper dignissima vitâ.

Quos afferant scilicet suis Auditoribus boni Magistri, quæ doceant, quæ inculcent, aurea passim colligunt dicta, studium et operam apum subinde imitantes.

3. firmiorem memoriam."

Cæterum nec transeundum silentiô scio esse puto: quod plurimum faciat ad firmiter memoriâ tenendas Auscultatio.

Cum verò jam suprà hujus commodi aliquo injecta sit mentio; pauca tantùm in præsenti referam.

Quæ audiuntur multò efficacius, quàm leguntur, quæ utilia sunt: præprimis si et auctoritas et affectus dicentis accesserit.

Esto ergò: quod scriptis Demosthenis magna insit vis et efficacia: proles tamen pueritiæ in Latio quondam Magister, Quintilianus, dicere haud dubitat magnam deesse illis partem: quod dicentem ipsum non audire liceret Demosthenem.

Hoc quidem certum est: quod alia audientes, alia legentes magis adjuvent: sed plus afficit, plus efficit vox viva.

Quod et Cicero ad Atticum scribit, ζώσης nempe φωνῆς πλείω ἐνέργεια τείνα.

Nam et viva vox alit plenius: licet satis exemplorum ad imitandum è Lectione suppetat